



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XV. An Concilium sit supra Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

dinales non Legatos Carolum à Lotharingia Archi-Episcopum Rhemensem & Ludovicum Madrutium Episcopum Tridentinum, numerantur 3. Patriarchæ. 3. Archi-Episcopi. 235. Episcopi. 7. Abbates. 7. Generales Ordinum & plusquam 146. Theologi. Præterea Oratores & Legati Imp. Ferdinandi, Regis Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Bohæmiæ, Poloniæ, Reip. Venetæ, Septem Cantonum Helvetiorum, Bavariæ, Sabaudia, Florentiæ, aliorumque Principum Ecclesiasticorum.

CAPUT XV.
An Concilium sit supra
Papam.

Proponitur status questionis. Papa est supra Concilium, quia est Christi Vicarius; Successor S. Petri; Caput Ecclesiæ; Pastor ovilis Christi. Episcopus Ecclesiæ universalis. Pater omnium Christianorum. Convocat Concilia. Est Judex Conciliorum. Corrigit & improbat Concilia. Confirmat Concilia. Datur appellatio à Concilio ad Papam. Non datur appellatio à Papa ad Concilium. Hunc primatum Papæ ipsamet Concilia agnoscunt. Casus excepti, in quibus Concilium est supra Papam.

I.

Quæstio est de Concilio Oecumenico. Concilia enim particularia, ut sunt: Nationalia, Provincialia & Diœcesana subesse S. Pontifici extra controversiam est, & fatentur omnes etiam illi hæreci, qui concedunt Pontificem esse Patriarcham Occidentis. De Concilio universali vero exorta est hæc quæstio in Concilio Pisano, cum in eo deliberaretur de duobus Pontificibus Gregorio XII. & Benedicto XIII, qui simul in Schismate sedebant, deponendis. Deinde suscitata est denuo in Concilio Constantiensi, cum Joannes XXIII. clam à Concilio decessisset; Et maximè agitara fuit in Basileensi, quando Eugenius Papa IV. Concilium illud dissolvit. Quamvis vero postea hæc quæstio decisa videatur in Concilio Florentino Decreto 4, in quo definitur: *Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, & expressè in Lateranensi V. sub Julio II. & Leone X. attamen quia hoc nonnullis videtur non fuisse verè generale, & istud non definiat rem in ipsis terminis, ideo usque ad hæc tempora, quæstio hæc etiam à Catholicis, & præcipuè à Doctoribus quibusdam Galliaè movetur. Nec defuerunt qui asserere præfidenter ausi*

Q 2

sunt,

sunt, certam & indubitatum esse Ecclesie Gallicanae doctrinam: Concilium esse supra Pontificem, eamque Sententiam DD. Parisienses se propugnaturus juramento confirmare. Verum id falsum asserit Andreas Duvallius Doctor in Sorbona celeberrimus *Tract. de Rom. Pont. potestate p. 4. q. 8. & q. 7.* Totus inquit, orbis exceptis pauculis Doctoribus eam (sententiam) amplectitur, & rationibus validissimis, cum ex Scriptura, Conciliis & Patribus, tum ex principiis Theologiae petitis confirmatur. Et quamvis haec ita se haberent, cum scriberet ista Duvallius, nihilominus postea anno 1682. Clerus Gallicanus in Comitibus quatuor edidit propositiones inter quas haec est secunda: *Papa subjicitur Concilio, & id patet ex Concilio habito Constantia Sess. 4. & 5. in Saeculo decimo quarto.* Sed Alexander Papa Octavus literis in forma Brevis A. 1690 die 4. mensis Augusti signatis, quae paucis ante obitum ejusdem Pontificis diebus emanarunt, illas propositiones aliaque quaedam in dictis literis contenta improbavit, cassavit, viribusque & effectu penitus & omnino vacuavit, Cum igitur

igitur hæc quæstio nunc denuo, maximè in Gallia agitari cœperit, eam hoc loco examinare ad dignoscendam auctoritatem Papæ in Decretis suis, & majorem Conciliorum notitiam, opportunum duxi.

2. Quoniam vero diversimode inter se comparari possunt Papa & Concilium, hic præcipuè quæritur: An verus Papa sit supra Concilium legitimè quidem convocatum, sed sine auctoritate Papæ in Actis procedens, an vero tale Concilium sit supra Papam.

Dicendum omnino est Papam esse supra Concilium. Ita Catholici Doctores & Theologi communiter, quorum plures doctrinam hanc fidei proximam, & contrariam erroneam appellant. Nos veritatem hanc demonstrabimus ex 13. motivis. 1. Quia Papa est Christi Vicarius. 2. Est Successor Petri. 3. Est Caput Ecclesiæ. 4. Est Pastor ovilis Christi. 5. Est Episcopus Ecclesiæ universalis. 6. Est Pater omnium Christianorum. 7. Convocat Concilia. 8. Est Judex Conciliorum eisque præscribit leges. 9. Corripit & improbat errores Conciliorum. 10. Confirmat Concilia. 11. Datur appellatio à Concilio ad Papam. 12. Non datur Appellatio à Papa ad Concilium.

13. Hunc primatum Papæ ipsamet Concilia agnoscunt.

§. I.

Papa est Christi Vicarius.

3. Sic Canon 39. Arab. Conc. Nicæni his verbis: *Ut qui tenet sedem Romæ sit Vicarius Christi super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicumque contra dixerit à Synodo excommunicatur.* Sic Concilium Constantiense Sess. 8. c. 37. & Sess. 45 in Bulla Martini. Sic definit Florentinum decreto 4 *Definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem &c. esse verum Christi Vicarium.* Habeturque c. ubi periculum de Electione in 6. ex Lugdunensi. Et confirmant sancti Patres: Ambrosius l. 10. in Lucam c. 24. Bernardus l. 2. de Consideratione c. 8. aliique, atque etiam S. Brigitta l. 7. Revel. c. 19. vocat Summum Pontificem: *Vicarium generalem Christi solum in mundo.* Addit solum & S. Bernardus l. 6. *Unicum*, quia nemo alius Vicarius generalis in mundo præter illum; Sunt quidem & omnes Antistites Christi Vicarii, sed subordinati & particulares, non generales nec supremi, qui solus & unicus est

est Papa. *Papa* inquit Baldus l. Barbarius
Philippus ff. de offic. Præt. est supremus DEI
Vicarius, & qui contrarium dicit, men-
titur.

Cum ergo Papa sit Vicarius Christi,
isque unicus & supremus, habet utique
Jurisdictionem adeoque Superioritatem
in tota Ecclesia non solum dispersa, sed
etiam in Conciliis conjuncta, cum ha-
beat Jurisdictionem eandem cum ju-
risdictione Constituentis, nimirum
Christi arg. c. 3. de appell. in 6. Hinc
ex communi Jurisperitorum sententia,
Christi & Pontificis Romani unum est
Tribunal Ricc. l. 9. de Jur. person. extra Eccles.
c. 2. n. 1. Hier. Gigas de resid. Episc. c. 5. Troi-
lus Malvetius de Canoniz. Sanct. dub. 2. n. 10.

4. Nec obstat. 1. Quod Papa dicatur
Vicarius B. Petri. c. Ego Ludovicus dist. 63.
& c. Constantinus dist. 96. Nam Vica-
rius hic non est aliud, quam Successor
secundum antiquam vocis notionem, ut
tradit Suidas Βικάριος ὁ διάδοχος παρὰ Πω-
ρταίοις Vicarius apud Romanos Successor.
Est ergo Papa Petro substitutus inde-
pendenter, & pari cum potestate post
eum gerit munus suum. Glos. Clem. I. de
Jurejur. V. Vicarium. Navar. Comment. de Ju-
bileo. adeoque in Jurisdictione est Petri
Successor. Nec

Nec obstat 2. Quod Papa sæpe contestetur se aliquid statuere aut vetare *auctoritate SS. Apostolorum Petri & Pauli*; Per hoc enim non indicat se dependere ab illis Apostolis in usu suæ potestatis, sed solum edictum vel interdictum tale promanare ab auctoritate Pontificia suprema, qualem habuit ordinariam S. Petrus, & extraordinariam S. Paulus, ut ita revocetur in memoriam suprema in Ecclesiam potestas concedita S. Petro & Successoribus ejus. *Reynaud. Cor. aur. Onomast. Pont. V. Vicarius.*

Nec obstat 3. Quod Apostoli ab Ambrosio 1. *ad Cor. 3. & in c. 1. ad Rom.* & Diaconi à S. Ignatio *Epist. ad Trallianos* dicantur Vicarii Christi licet supremam non habeant in Ecclesiam auctoritatem; Nam Apostoli sic dicuntur cum proportionem aliqua, quia post Christi abscissum jussu & vice ejus prædicarunt Evangelium, & docuerunt homines veram fidem. Diaconi autem sic appellati sunt, quia divinum Calicem populo ministrarunt, sicut Christus illum bibendum dedit Apostolis. S. Petrus vero & ejus Successores alio eminentiore sensu Vicarii sunt Christi, & vices ejus principaliter & antonomasticè agunt.

§. 2.

Papa est S. Petri Successor.

1. Quemadmodum Summus Pontifex est Christi Vicarius, ita est quoque S. Petri Successor, non modo in Episcopatu Romano particulari: Sed etiam in Vicaria Christi Præfectura per totam Ecclesiam cum pari potestate Apostolicæ plenitudinis, ita ut non aliam aut plenioram acceperit à Christo Pontificiam potestatem Petrus, quam quilibet in Romana Sede Successorum. Quæ veritas certa est ex fide, & definita tum in aliis Conciliis, tum in Lugdunensi sub Innocentio IV. & habetur c. 1. de homicidio in 6. Viennensi sub Clemente V, Constantiensi Sess. 8. & 25. & in Bull. Mart. V. Suffragantur magno numero SS. Patres. Chrysostomus l. 2. de Sacerd. Bernardus l. 2. de Consil. c. 8. aliique apud Bosium l. 18. de Sign. c. 3. Valentiam 2. 2. Disp. 1. q. 1. punct. 7. à §. 36. Cenedo part. 1. Collect. Jur. Can. Tit. 11. n. 1. Nobis hic sufficiat S. Leo qui Serm. 2. de anniversario assumptionis suæ inquit: *Manet dispositio veritatis & B. Petrus in accepta fortitudine Petri perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit, perseverat videlicet*

§. 2.

licet Petrus, & vivit in Successoribus suis. Et Philippus Cœlestini Papæ Legatus. Tom. 2. Conc. c. 26. Nulli dubium imo sæculis omnibus notum est sanctum Beatissimumque Petrum Apostolorum Principem & Caput fideique columnam Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino JESU Christo Salvatore nostro humanique generis Redemptore cœlestis regni claves accepisse, solvendi atque ligandi potestate, quam acceperat, usum fuisse; Necnon per Successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse. Hujus itaque ordinarius Successor & Vicarius sanctus Beatissimusque Papa & Episcopus noster Cœlestinus, nos huc pro se quasi Vicarios ad hanc S. Synodum misit. Atque ratio evincit: Cum enim potestas Pontificia collata sit S. Petro in bonum Ecclesiæ, quæ permanebit usque ad finem sæculi, necesse fuit eandem tribui potestatem Successoribus Ecclesiæ suo tempore moderantibus, quæ concessa est S. Petro pro eo tempore, quo Ecclesiæ gubernavit. Imo cum nunc sublatis è terra Christo & Aposto-
lis,

lis, accrescente numero & malitia Christianorum, major sit paris potestatis necessitas, in qua Christi providentia non deficit, nullatenus illa Successoribus Petri deneganda est, ne ut S. Cyprianus inquit l. 1. Epist. 3. *Gubernatore sublato atrocius atque violentius circa naufragia Ecclesia hostis grassetur.* Atque ob hanc rationem dixit S. Augustinus: *Claves tributas esse S. Petro in persona Ecclesia.* Et iterum: *Claves non Petro, sed Ecclesia fuisse traditas,* quia traditæ sunt Petro non ut homini singulari resumendæ post obitum ejus, sed ut personæ publicæ, adeoque omnibus, qui ei successu temporis suffiendi essent in Ecclesiæ gubernatione. Hi ergo in gubernaculo isto exhibent personam Petri, & sunt repræsentativè idem quod Petrus, pro ut eos post multa etiam sæcula in Cathedra Petri sedentes frequentissimè compellarunt. S. Innocentius I. Epist. ad Concilium Milevit. Agatho Papa Epist. ad Constant. IV. literas dedit ad Francorum Principes nomine S. Petri, quæ extant apud Baronium ad A. 755. & Grezerum. Atq; etiam in literis formatis & Decreto magni Nicæni Concilii post literas initiales nominum Græcorum: Patris & Filii & Spiritus sancti

cti

254 *Papa est supra Concilium.*

Et ponebatur litera P. initialis nominis B. Petri, quo significabatur, eum cui literæ tradebantur, esse Catholicæ communionis.

2. Jam vero S. Petrus constitutus est à Christo non tantum supra particularem aliquam, sed etiam supra universalem Ecclesiam conjunctim, quam repræsentat Concilium generale. Patet id Primò *Matth. 16.* ex his verbis: *Tu es Petrus & supra hanc petram edificabo Ecclesiam meam,* quibus verbis ex communi Patrum consensu promittitur Petro Principatus Ecclesiæ Christi, & ut sit fundamentum illius & basis. Princeps vero major est regno suo etiam conjunctim collecto, & fundamentum tribuit firmitatem structuræ, eamque sustentat & portat, non vero ab eo stabilitur & sustentatur. Ergo & Petrus major fuit Ecclesiæ & Concilio, eique firmitatem tribuit in rebus fidei & morum, non vero accepit. Confirmant id verba sequentia. *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumq; solveris super terram erit solutum & in cælis.* Per claves significabatur suprema potestas tum Ordinis tum jurisdi-
ctio.

tionis. *Isai. c. 22. Apoc. 3. l. Clavibus 74 de contrah. empt. & §. 45. Instit. de rer. dom.* Quæ ibi promittitur in Ecclesiam non dispersam solum per orbem, sed etiam in Concilio congregatam. Hoc denotat *τὸ quodcumque ligaveris & solveris*, nimirum ubicumque & quodcumque id conveniens Petrus judicaverit in Ecclesia (quam familiari phrasi *regnum cælorum* Christus appellat, ut docet *S. Greg. Hom. 12. in Evang.*) aut Concilio, quod Ecclesiam repræsentat, adeoque quod hoc clausit ligavitque poterat Petrus & Successores ejus aperire & solve, quod ubiq; signum est Superioritatis supra Concilium, præsertim cum huic nullibi facta sit promissio aut traditio Clavium aut potestatis in Papam.

3. Deinde *Luc. 22.* Christus sic alloquitur Petrum: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit, ut cribaret vos sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic duæ exprimuntur prærogativæ Petro præ cæteris concessæ. Prima quod Christus tanta cura & sollicitudine oraverit specialiter pro Petro, ne fides ejus potius quam cæterorum deficeret, utique quod

quod ab illo tanquam fundamento, Pastore capiteque Ecclesiæ potius, quam à reliquis Apostolis Ecclesia & Religio dependeret. Secunda. Ut Petrus confirmaret Fratres suos; Confirmare vero illius est, qui majorem habet auctoritatem & potestatem; Adeoque per hæc verba concessum est Petro privilegium infallibilis veritatis in definiendis rebus fidei, quæ in eo non deficiet, & potestas confirmandi Fratres, hoc est fideles, adeoque & Concilia dirigendi, corrigendi, approbandi, aut etiam, si necesse fuerit, dissolvendi; quæ nullibi concessa leguntur Conciliis. Concessa sunt ergo hæc præminentia privilegia soli Petro & Successoribus ejus; nam cum Ecclesiam impugnare Sathanas non cesset, necesse fuit, ut ea in Successoribus Petri confirmentur, ut perpetuo hosti perpetuus opponatur Dux & Defensor. Valide hæc confirmant verba Christi Joann. ult. *Pasce oves meas*; Sed de his agetur infra §. 4.

§. 3.

Papa est Caput Ecclesiæ.

Pontificem rectè appellat Petrus Damianus in Odilone: *Caput omnium Christianorum.* Joannes Constantinop. ad
Con-

Constanti. Papam : *Caput Sacerdotiū quod in Christo est Canonice.* Episcopi Moësiæ Epist. ad Leonem Aug. in fine Conc. Chalced. *Caput omnium Episcoporum.* Concilium Nicænum c. 39. apud Pisanum l. 3. *Caput & Principem omnium Patriarcharum.* S. Theodorus Studita Epist. 33. ad Leonem III. *Caput divinissimum omnium capitum.* Concilium Calced. epist. ad Leonem, Chrysostomus Hom. 55. in Matt. aliique *Caput Ecclesiæ.* Atque esse Ecclesiæ universalis caput definitum est in Conciliis Constantianensi Sess. 15. & ult in Bulla Martini V. Florentino Sess. ult. Lateranensi ult. Sess. 11. Lugdunensi habetur cap. ubi *periculum de Elect. in 6.* Idem confirmat S. Leo in epist. ad Episcopos Viennenses 78, quæ habetur in cap. *Ita Dominus dist. 19.* Nicolaus III: in c. *Fundamenta 17. de Elect. in 6.* Patres Concilii Ephesini in actis Sess. 4. S. Thomas l. 4. *Contragentes c. 76.* & cont. errores Græc. c. 65. & 3. p. 9. 8. 4. 6. Deducunt SS. Patres hunc titulum ex illis verbis Christi Matt. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram &c.* apud Suaz. l. 3. *defens. c. 10.* Covarruviam lib. 4. *Variar. c. 14. n. 11.* & ex illo Joan. 21. Pa-

Pa-

Pasce agnos meos &c. apud Bellarm. l. 1. de Pontif. c. 14. & seqq. Ita verò Papa caput est Ecclesiæ universalis, ut sit caput omnium collectivè Ecclesiarum etiam in uno loco congregatarum, cum quicquid Christi membris annumeratur, cui certè annumeratur etiam Ecclesia in Concilio collecta, subsit Romano Pontifici ut capiti. Ideo Philippus Cœlestini Papæ Legatus in Ephes Conc. cap. 15. apertè edixit: *Gratias agimus sanctæ venerandaque huic Synodo, quod literis Cœlestini Sanctissimi Beatissimi q̄ Papa vobis recitatis sanctæ Ecclesiæ membra, sanctis vestris vocibus piis q̄ præconiis sancto vestro Capiti vos exhibueritis. Non enim ignara est vestra Beatitudo, totius fidei cæterorum q̄ omnium Apostolorum Caput Beatum Apostolorum Petrum extitisse. Jam vero perspicuum est Caput non humeri tantum & brachii, sed universi corporis esse caput idque cæteris membris non tantum separatis, sed etiam unitis præstare, à quo hæc motum & imperium accipiunt, ideoque etiam Papa Ecclesiæ caput est non dispersæ tantum & singulorum membrorum, sed collectæ, quoque & universorum, præstatque omnibus simul in Concilio*

cilio congregatis. Est ergo Papa supra Concilium præsertim cum hæc dignitas Capitis nullibi in sacris literis Concilio attribuat.

Neque hinc inferas monstrosam & bicipitem esse Ecclesiam, cum certum sit ejusdem Caput esse Christum; Nam Christus caput est in terris nunc invisibile & principale, quia est caput pro omni tempore quo influxit & influet gratiam; Pro omni statu tam invia quam Patria, & secundum omne genus gratiæ distributum hominibus. Pontifex vero Caput est Ecclesiæ visibile subordinatum & Vicarium per comparisonem ad Christum, adeoque non est monstrosa Ecclesia cum non habeat duo capita ex æquo in eodem genere.

§. 4.

Papa est Pastor Ovilis Christi.

Christus per hæc verba: *Pasce Oves meas* Joan. ult. soli Petro tribuit supremam potestatem omnemque curam pascendi oves suas; Soli namque illi loquitur, solum examinat, & à solo responsum accipit, adeoque quod *Matth. 18.* promiserat Christus, hic actu Petro confert. Sunt quidem & alii Pastores, qui

R

bus

bus dictum est: *Pasce, qui in vobis est gregem DEI*; Sed longe excellentiore modo Pastor est Petrus & quilibet Romanus Pontifex; Ipse enim absolutè & anonomasticè unus dicitur Pastor unius ovilis juxta æternæ Veritatis edictum: *Fiet unum Ovile & unus Pastor. Sunt quidem*, scribit S. Bernardus ad Eugenium Papam l. 3. de *Consid. c. 7. & alii cæli Fanitores & gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Quam veritatem pariter Emissenus eruit ex verbis illis Joan. 21. Respondente Petro, inquit, Domine tu scis quia amo te, ait Christus: Pasce oves meas. Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum Pastorem ovium, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit filios, pascit & matres, regit & subditos & Pralatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter Agnos & oves in Ecclesia nihil est. Nihil,*

*hil, inquam, quod non suis Pastoribus
Christus commiserit. Pascit igitur Pe-
trus ejusque in cura pastorali Successor
& subditos & Prælatos, eosque non tan-
tum dispersos per Ecclesias suas particu-
lares, sed etiam in Concilio congrega-
tos, quia & sic ad ovile Christi pertinent,
& incumbit Pastoribus in bonum Ovium
tam collectarum quam separatim pa-
lantium invigilare exhibendo illis do-
ctrinæ sanæ pabulum, ducendo illas,
tuendo, medendo, & si exerrent, adhi-
bendo virgam percutientem, ut de-
viantes reducat, id namque verbum
ποιμαίνω, quo S. Joannes usus est signi-
ficat. Jam vero hæc cura Ovium non Pe-
tro solum, sed omnibus legitimis ejus Suc-
cessoribus commissa est; Cum enim Ovile
sit perpetuum, perpetuus quoque esse de-
buit Pastor, quandoquidem oves jam non
minus Pastore indigent, quam olim, pe-
riculis æque gravibus ac majoribus etiam
à Lupis aliisque adversis imminentibus.
Ideo Innocentius III. *Nobis autem, in-
quit, in B. Petro sunt Oves Christi com-
missa dicente Domino: Pasce oves
meas: Non distinguens inter has oves,
& alias, ut alienum à suo demonstraret
Ovili, qui Petrum & Successores ipsius**

Magistros non recognosceret. Cum itaque Pastor sit supra Ovile, non Ovile supra Pastorem, indubie tenendum est Papam quoque esse supra Ecclesiam etiam in Concilio congregatam. Et cum nullus reperiatur locus in sacra Scriptura, qui Ecclesiae vel Concilio tribuat in Petrum aut Papam auctoritatem, id quoque non est asserendum, cum non sit recedendum à regula donec contrarium probetur. *c. 2. de Conj. lepros. c. ad decimas de restit. spoliat. in 6.* Idque vel maximè in sacra Scriptura & illis quæ à sola pendent DEI voluntate & institutione. *S. Th. 3. p. 9. 1. a. 3.*

§. 5.

Papa est Episcopus Ecclesiae universalis.

1. Sic eum appellat Sixtus I. A. 141 martyrio affectus *Epist.* 2. Victor primus *Ep.* 1. Pontianus *Epist.* 2. Stephanus I. *Epist.* 2. S. Leo *Epist.* 54. 57. 62. 69. 75. 97. Pompeius & Anastasia ad Hormisdam. S. Cyprianus vero *Epist.* 46. ac sæpe Pontifices vocant *Episcopum Ecclesiae Catholicae.* Acta S. Tiburtii, Tertullianus de pudicitia, Arnobius in *Psal.* 138. & Gervasius Rhemensis *Epist.* ad Paschalem Papam: *Episcopum Episcoporum.* Cal-
fido.

fiodorus Epist. 15. l. 9. *Episcopum Patri-
archarum.* Petrus Blessensis Epist. 27.
*Episcopum unice summum & singula-
riter generalem* S. Bernardus Epist. 239.
Episcopum Orbis Chalcedon. Concilium
Act. 3. in tribus Epistolis *Episcopum uni-
versalem.*

Omnes vero hi tituli præminentiam
Papæ supra Episcopos, Patriarchas, &
universalem Ecclesiam totumque or-
bem denotant; Non secus ac titulus
Episcopi significat Superioritatem supra
Parochos & Parochianos illi subjectos;
Hi namque apud Christianos Episcopi
dicuntur, qui Ecclesiam superinspiciunt,
ut ait Sidonius l. 6. Epist. 1. & regunt.
Græcum est enim, differit S. Aug. l. 19.
Civit. c. 19. *at q̄s inde deductum vocabu-
lum, quod ille qui præficitur, eis quibus
præficitur, superintendit; Curam eo-
rum scilicet gerens, ἐπι quippe super
σκοπὸς vero intentio; Est ergo ἐπισκο-
πεῖν, si velimus, Latine superintendere,
possumus dicere.* Episcopi vero non so-
lum sunt super Parochos suos, eosque
superinspiciunt & regunt, cum dispersi
sunt per Parœcias, quas administrant,
sed etiam cum congregati sunt in Con-
cilio

cilio Diocesano. Pari ergo ratione Papa tanquam Episcopus Ecclesiae universalis non solum est supra Episcopos, Patriarchas caeterosque Praelatos, quando dispersi per orbem terrarum excubant in certis districtibus gregi sibi concredito, sed etiam quando conjuncti sunt in Concilio generali, quia sicuti Episcopi, Metropolitanæ & Patriarchæ non desinunt esse tales in Conciliis Diocesanis, provincialibus & nationalibus, ita nec Papa desinit esse Episcopus Episcoporum & universalis Ecclesiae in Conciliis generalibus, cum hanc dignitatem acceperint immediatè à DEO, & non à communitate, nec communitati ullum jus novum conferat collectio.

2. Nec obstat. 1. Quod vocet S. Clemens *Epist.* 1. S. Jacobum, & Sidonius Appollinaris *l. 6. Epist.* 1. S. Lupum Episcopos Episcoporum, qui tamen Romani Pontifices non fuerunt; Dicti namque sunt ita hi Praesules ob exemplum vitae, quo caeteris praeluxerunt, ut omnium Praesulum velut exemplar & idæa dici potuerint, non vero per proprietatem & vi muneris, ratione cujus soli Romano Pontifici hic titulus competit.

Nec obstat 2. Quod S. Cyprianus in
Con-

Concilio Africano neget quemquam debere se Episcopum Episcoporum appellare, nam loquitur de Collegis suis in Concilio illo congregatis, non de Romano Pontifice, ut observarunt S. Hieronymus *Dial. contra Lucif.* & S. Augustinus *l. 2. de Baptis. contra Donat. c. 2.*

Nec obstat 3. Concilium Cathaginnense III, *cap. 26.* & habetur in *cap. 1. dist. 99.* improbens titulum Episcopi universalis, cum loquatur non de Papa, sed de Patriarcha istius Provinciae.

Nec obstat 4. Quod S. Gregorius *l. 7. Epist. 30.* & habetur in *cap. Eccl. dist. 99. Et l. 4. Epist. 38. 39. 30. 32. 34. 36. & l. 6. Epist. 30. ad Maurit.* refugiat Episcopi universalis titulum tanquam fastuosum, arrogantem & in aliorum Episcoporum contemptum cedens; Nam insectatus est hunc titulum ob superbiam Joannis jejunatoris Patriarchae Constantinopolitani, qui eum sibi arrogavit. Ipse vero Pontifex, uti & alii quidam noluerunt eum in usum inducere ob sensum aliquem perversum, quem hic titulus praeferre posset, quasi nemo alius esset in Ecclesia Episcopus praeter Papam, & caeteri Episcopi essent solum Vicarii Papae, quod est contra Hierarchiam Ecclesiasticam, quae plures complectitur Episcopos & Pastores,

res,

res, quamvis cum subordinatione ad Romanum Pontificem; In alio autem & genuino sensu hujus tituli, qui non excludit particulares Episcopos, solamque universalem totius Ecclesiæ, & omnium in ea Antistitum curam denotat, non denegat S. Gregorius Romano Pontifici, sed eum strenue & calamo & ipso facto asseruit, l. 7. *Epist.* 63. & 64. & alibi sæpius.

§. 6.

Papa est Pater omnium Christianorum.

Hic titulus vendicatur Romano Pontifici in Concilio Florentino *Sess. ult.* his verbis: *Definimus Sanctam & Apostolicam sedem & Romanum Pontificem omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere.* Et jam ante dixerat Petrus Damiani *Opusc.* 23. c. 1. Pontificem esse *Patrem orbis*, & Episcopi nostræ Germaniæ ad Joannem octavum *Patrem summum.* Petrus Cluniacensis. l. 8. *Epist.* 43. *Patrem universalem*, & *Epist.* 27. *Patrem Ecclesiæ* S. Bernardus *Epist.* 130. *Patrem universitatis.* Hinc plures non improbabiler putant nomen *Papa*, idem esse,

esse, ac Pater Patrum, sic Remigius Altissiod. *de celebrat. Missæ.* Et Thomas Illyricus. *Tract. de potest. Papæ* §. Non igitur, certe *Papa* idem esse quod *Pater* ex Græcorum & Latinorum usu, quo parvuli Balbutientes adhuc abblandiendo Patri Papam vocant, constare videtur, sic Athenæus l. 8. *χαῖρε πάππα φίλτατε.* Et *Odiss.* 3. *Πάππα φίλε.* Et cum plures Episcopi & minores etiam Sacerdotes olim quandoque Papæ sint appellati, ex decreto Gregorii VII anno 1073. in Synodo contra Schismaticos stabilitum, ut solus Romanus Pontifex Papa diceretur. *Raynaud. l. 6. V. Papa.*

Jam vero quis negabit primas tenere Patrem domi suæ, & imperium habere jure naturali in filios & domesticos, non solum extra domum ad varia ministeria emissos, sed etiam domi conjunctos. Ideoque & Pontifex primas ubique habebit in Christianos, Ecclesiam, & Præsules etiam in Conciliis generalibus congregatos. Nec dicas Papam esse Filium Ecclesiæ, adeoque illi subiectum; Est namque Filius & Pater respectu diverso, Filius ut est Baptizatus, & sic præcepta Ecclesiæ observat; Pater vero ut Papa est, & sic supremam habet auctoritatem, cui omnes obedire tenentur. §. 7.

§. 7.

Papa convocat Concilia generalia.

1. Id jam supra ostendimus c. 6. n. 2. Sed cum ex eo veritas proposita de auctoritate Papæ supra Concilium plurimum confirmetur, distinctius & paulo explicatius hic declarandum illud erit.

Convocari Concilia possunt tripliciter: Per modum præcepti, exhortationis & executionis. Præceptivè, cum vocanti obedire debent Episcopi, nisi legitime sint excusati, solus Pontifex convocare potest, non Rex aut Imperator, quia in causa Religionis & circa personas Ecclesiasticas nullam potestatem aut jurisdictionem habent Principes sæculares, sed solus Pontifex. Hic tamen Regibus & Principibus interdum reliquit convocationem, quia & sumptus præstare necessarios, & ea quæ facti sunt melius, præsertim in territoriis ipsis subjectis, procurare poterant. Cæterum sine auctoritate Papæ Concilia ab Imperatoribus convocata nec vim nec robor habuerunt. Patet id in Ephesino II. à Theodosio juniore, Antiocheno & Ariminen- si à Constantio; Constantinopolitano secundo à Leone Imper. Synodo in Trul-
lo à

lo à Justiniano Imp. aliisque Constanti-
nopoli à Constantino Copronymo con-
vocatis. E contrario Concilia à Pon-
tificibus absque Imperatorum consensu
congregata robur suum obtinuerunt;
Ostendit id Concilium Sardicense relu-
ctante Constantio Imp. à Julio congre-
gatum, *Anast. in apolo. 2.*

2. Per modum vero Exhortationis &
Executionis convocare possunt Conci-
lia Imperatores, & id ipsum sæpè ex pio
Zelo & amore pacis Ecclesiasticæ fece-
runt, sed nullam per hoc auctoritatem
præceptivam sibi arrogarunt. Testan-
tur id luculenter Valentinianus & Mar-
tianus Imperatores ad Leonem Papam
his verbis: *Tuam sanctitatem princi-
patum in Episcopatu fidei possidentem in-
vitamus, atque rogamus ad celebra-
dam Synodum te Auctore.* Epist. præamb.
Syn. Chalced. Et Constantinus VI. Imp.
sic in Epist. ad Agathonem Papam:
*Invitare & rogare possumus ad omnem
commendationem, & unitatem omniū
Christianorum, necessitatem vero in-
ferre nullatenus volumus,* Martianus
ut se paratum ostendat exequi Pontificis
voluntatem sic scribit ad Leonem Papam:
Si one-

Si onerosum est, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum sacra nostra littera dirigantur, ut ad aliquem definitum locum, qui nobis placuerit omnes Episcopi conveniant. In Epist. præamb. Conc. Chalced. Sic quoque Constantinus & Irene profitentur Se Romani Pontificis hortatu & veluti jussu Episcopos congregasse ad Nicænum II. Act. 1. dicti Concil. Et ad Concilium Tridentinum jussit edicto publico Carolus IX. Galliarum Rex Episcopos proficisci sollicitante Pio IV. Pont. Si ergo auctoritate præceptiva Pontifex congregare possit Concilia, ab ejusque voluntate dependeat, ut legitime convocentur, quis inficiabitur eum supra Concilium esse?

3. *Nec obstat quod Leo Papa impetrare non potuerit à Theodosio juniore, ut convocaret Concilium in Italia, quod supplex petierat Pontifex ab Imperatore his verbis: Pietas vestra suggestioni & supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium. Sed congregavit id Ephesi*

phesi citiusque quam Papa postulaverat; Nam Pontifex rogavit solum Imperatorem, ut executionem faceret sui desiderii; Quod autem illi non obtemperavit Theodosius circa locum & tempus pessimè id quidem actum, ideoque dicta est illa *Synodus prædatoria*, & non *Judicium sed latrocinium* ibi exercitum fuisse scribit Leo *Epist. 5.*

Neque etiam obstat quod idem Papa Leo nec à Martiano Imp. obtinere potuerit, ut Synodum differret, sed debuerit Papa Imperatoris voluntati acquiescere. *Epist. 44. & 49.* Nam id factum est: *Beatissimi Petri Apostoli Sedis jure atque honore servato*, ut scribit Leo *Epist. 47.* ad Synod. Chalced. & Pontifice etiam consentiente, ut idem Leo profidetur in *Epist. 43.* ad Imperatorem his verbis: *Proposueram quidem ut Synodum aliquantisper differre juberetis, sed quia pro studio humanis negotiis divina preponitis &c. Ego etiam vestris dispositionibus non renitor optans &c.*

§. 7.

Papa est Judex Concilii eique præscribit leges.

1. Diximus supra *cap. 13. n. 5.* Concilium

lium

lium generale ut legitimum sit inter cæteras condiciones requirere, ut illi præsideat per se vel per Legatos Pontifex, id vero intelligendum non est de quacunque præsentia quo ad externas solum actiones ordinandas, uti quandoque Imperatores præfederunt, neque de præsentia honoraria, ut præsidet Scabinus in Senatu civium, qui Primus sedet, & loquitur, in definiendo tamen par est cæteris. Verum intelligendum est de præsentia conjuncta cum auctoritate agendi & definiendi, quam cæteri in sententiis suis sequi tenentur; Proindeque præest Concilio Papa tanquam Judex, qui præscribit leges & formam modumque procedendi. Sic Synodo Ephesinæ præscripsit Cœlestinus Papa formam & regulam juxta quam, nec aliter judicarent. *Act. Conc. Ephes. c. 15.* Leo Papa præscripsit formam modumque Synodo Chalcedonensi, quem secuta est actione 2. *Evagrius l. 2. c. 4.* eamque coëgit *Act. 5.* doctrina sua & auctoritate Judicis in aliam flectere sententiam, & suæ Epistolæ subscribere. Damasus tanquam Judex acta Synodi Constantinopolitanæ in Concilio Romano à se coacto examinavit & confirmavit. Jam vero quis non agnoscit in Judice majorem

rem

rem esse auctoritatem & præeminentiam, quam in Concilio vel Senatu, cui ipse præest & leges præscribit, quibus omnes se conformare tenentur?

2. Nec dicas 1. Imperatores per se vel Deputatos Conciliis præfuisse: Constantinum M. Nicæno I. & libellos supplices accepisse. *Sozomenus l. II. c. 16.* In Constantinopolitano I. Theodosium Seniores omnem actionem moderatum esse *Sozom. l. 7. c. 8.* Ephesino I. Theodosium juniorem per Candidianum Comitem præsedisse, & in eo comparere noluisse Joannem Antiochenum cum suis Episcopis, licet à Concilio & Legatis Pontificiis evocatum, nisi mandato ab Imperatore accepto *Liberatus in Breviar. c. 6.* In Chalcedonenli Martianum Imp. per suos Concilii actiones moderatum esse. *Act. Concil.* Respondetur, Imperatores per se vel per missos Patricios, quos *Judices* vocabant præsedisse, solum quo ad actiones externas Concilia defendendo, litigantes à tumultu compescendo, & mandando executioni, quæ Concilia decreverant; Nil vero, quod ad fidem spectabat, definiebant, aut confirmabant. Constantinus enim, ut testatur Ambrosius *Epist. 32. Nullas leges, ante præ-*

præ-

premisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. De libellis vero supplicibus iudicare noluit ex reverentia impensa, ut ait Gregorius M. in Regist. l. 4. Epist. 3. In Concilio non nisi annuentibus Episcopis considerare voluit. Euseb. l. 3. c. 10. de Vita Constant. & in humiliori sede Theodoretus Hist. Eccles. l. 1. c. 7. contestatusque non suum sed Episcoporum esse iudicare. Constantini exemplum secutus Martianus: Nos, inquit, non ad ostendendam potentiam, sed ad confirmandam fidem exemplo Constantini Religiosi Principis Concilio interesse volumus. Act. 6. Conc. Calced. De Theodosio Seniore scribit Ambrosius: Noluit is injuriam facere Sacerdotibus; Ipsos Interpretes constituit Sacerdotes. Act. Conc. Aquile. Theodosius junior Candidiano Comiti in commissis dedit: In nullo quidem quæ faciendæ sunt de piis dogmatibus quæstiones communicare &c. Epist. 17. Cyrilli. Quæ vero contra Concilium in favorem Joannis Antiocheni fecit, deceptus fuit; Videantur acta, De Martiano paulo ante dictum; Iudices ab eo deputati decreta Concilii executioni solum mandarunt, ut patet ex actione 2. 4. & alibi.

Nec

Nec dicas 2. Si Papa in Concilio Episcopis præsidet cum auctoritate definiendi, Episcopi non habebunt suffragia, nec Judices erunt in causa fidei, sed vel ministri vel Consilarii tantum Pontificis, sicque nulla esset Synodi auctoritas. Nam respondetur Episcopos habere sua suffragia, & Judices esse in Conciliis, sed sequi debere sententiam Successoris Petri, qui primus judicat & primus definit pro ut in Concilio Apostolico Act. 15. Petrus primus suffragium dedit, & *in ejus sententiam ceteri Apostoli transierunt*; Cum enim singuli Episcopi errare possint, & major aliquando pars erraverit, ut patet in Calcedonensi Act. 5. & ult. & Ariminensi toto, Petrus vero ejusque Successor fidei acceperit indefectibilitatem à Christo, ut nimirum fluctuantes *Fratres & Coepiscopos confirmaret in fide Luc. 22.* merito, ne in fidei definitione errent Episcopi, sequi debent suffragiis suis sententiam illius, qui errare non potest, hoc est Papæ.

§. 9.

Corrigit & improbat Concilia, quæ sine auctoritate Papæ errare possunt.

Anno 340. Concilium Antiochenum

S

idea

ideo rejectum est, ait Socrates, quia neq[ue]
Julius Romanus Episcopus aderat, neq[ue]
quenquam qui ejus locum suppleret, em-
isit. Hist. Eccl. l. 2. c. 5. ideoque acta illius
Julius reprobavit. Athan. in Apolog.

Anno 359, Liberius Papa Synodum
 Ariminensem 400. & plurium Episcopo-
 rum tanquam illegitimum rejecit Epist.
 Damasi & Synodi Romanæ apud Theodor.
 l. 2. c. 22.

Anno 381. Erravit secunda Synodus
 Oecumenica Constantinop. cui Pontifex
 nec per se, nec per Legatos præsedit, &
 errorem S. Leo reprobavit. Epist. 51. ad Ruat.
 Gregorius M. l. 6. indic. 15. Epist. 5.

Anno 451. Erravit Synodus quarta
 Oecumenica Chalcedonensis sub Leone I.
 Pontifice, quando sine sententia Lega-
 torum act. 15. Can. 28. Archi-Episcopo
 Constantin. primatum in Oriente detu-
 lit, qui Canon à Sedis Apostolicæ Lega-
 tis expungi jussus est Act. 16. & in Epist. S.
 Leonis 59. Et Epist. ad Anadol. 51. In eadem
 Synodo Sess. 6. Legati Pontificii formulam
 ob emissas quasdam voces hæresin Euty-
 chetis exprimentes Actis Concilii inscri-
 bi passi non sunt, sed aliam licet occla-
 mantibus importune Patribus conscribi
 fecerunt.

Anno

Anno 692. Erravit Synodus Quinisexta, quoad cœlibatum Sacerdotum, & Sabbati jejunium *Can. 13. & 55.* ideoque à Patribus *Erratica* dicta & à Sergio aliisque Pontificibus reprobata est.

Anno 699. Erravit Synodus secunda Ephesina 188. Episcoporum absolvendo Eutychem, & damnando S. Flavianum aliosque Catholicos Episcopos, ut dicta fuerit *Latrocinalis & predatoria*, ac à Leone Papa damnata sit.

Anno 1531. Erravit Concilium Basiliense, ideoque ab Eugenio IV, & Leone X. in Concilio Lateranensi damnatum fuit.

Corrigere vero & rejicere Acta Conciliorum, atque integra ipsa Concilia reprobare, denotat satis auctoritatem & Primatum Papæ supra Concilia, ut ex lumine rationis perspicuum est.

§. 10.

Confirmat Concilia.

Ex hoc quoque capite patet auctoritas Papæ supra Concilia, nam confirmare Acta eaque roborare, ac rata habere gesta communitatis alicujus, est Superioris auctoritatis & Principis, cui talis communitas subjacet. Generalia vero

Concilia hæctenus omnia & singula à Romanis Pontificibus confirmata esse patet inductione.

Primum Concilium Nicænum confirmatum est à Sylvestro, prout Patres his verbis petierant: *Quidquid constituimus in Nicæno Concilio precamur vestri oris consortio confirmetur.*

Secundum generale Concilium Constant. I. confirmavit Damasus Phot. l. de 7. Synod. ad quem sic Patres: *His rebus omnibus tanquam legitime secundum Ecclesie Canones constitutis obsecramus vestram Sanctitatem ut consentiat.* Theodor. histor. Eccles. l. 5. c. 9.

Ephesinum primum, quod tertium est generale confirmavit Cælestinus, sic Cyrillus Epist. 29. quod *Cælestinus Papa scripserit consona S. Synodo, & omnia illius gesta confirmaverit.*

Concilium Chalcedonense, quod est generale quartum, ut confirmet Leo Pontifex, his Patres efflagitant: *Rogamus & tuis decretis nostrum honora iudicium, & firmitas tua filiis, quod decet adimpleat Act. 3. in Epist. ad Leonem* Sicque de quatuor primis Conciliis manifestum est confirmata esse à Pontifice;
De

De cæteris idem relucet supra ex serie Conciliorum generalium.

Nec obstat 1. Imperatores quoque confirmasse Concilia, ut Theodosius senior Concilium Constantinop. I. *in Act. Conc.* Et Theodosius junior, ac Martianus Concilium Chalcedonense confirmarunt *Act. 1. & 3.* Nam confirmarunt illa, ut per modum executionis conserventur, non ut per modum Jurisdictionis ab iis robur accipiant.

Nec obstat 2. Episcopos quoque Decreta Conciliorum subscriptione sua confirmare; Nam confirmant ea consensu solum ex Obedientia debito, non ex auctoritate necessario requisita.

S. II.

Datur appellatio à Concilio
ad Papam.

A Concilio universali ad Papam appellandi morem antiquissimum esse testatur S. Leo *in Epist. 87.* ad Episcopos Gallix, & fundatur in vetustissimo Canone Ecclesix, qui præscribit causas omnes graviore, & quæstiones difficiliore ad Sedem Romanam, tanquam primam referendas esse, quod statuisse Apostolos testatur Anacletus *Epist. 1.* Si omnes causæ eo deferendæ sunt, ergo

S 3

etiam

etiam quæ in Conciliis generalibus exoriantur, quibus se aliqui gravari sentiunt. Huc respexit Felix II. in Epist. ad Concilium Ægyptiorum; Damasus in Epist. ad tria Affricana Concilia; Innocentius I. Epist. 26. ad Concilium Milevitanum, aliique Pontifices, quando *ex antiquis Patrum decretis ad Sedem Romanam in omnibus gravioribus causis appellandum esse* tradiderunt. Et Legati Michaëlis Palæologi in secundo Lugdunensi edicunt: *Omnes & in omnibus causis Ecclesiasticis ad Pontificem appellare posse*; Quæ verba à nullo in Concilio improbata sunt, sed omnium platu excepta. Galasius I. Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ inquit: *Ad Sedem Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est.* Et ut intelligatur loqui se de appellatione à Concilio subdit: *Sæpe Romanos Pontifices solvissè eos, quos iniquè Concilia ligaverant*, pro ut docent quam plurima exempla; Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinop. à Concilio depositi ad Julium Papam appellarunt, & ab eo restituti sunt. Sozom. l. 3. Hist. c. 7. Flavianus Episcopus Constantin. appellavit

lavit ab Ephesino secundo generali ad Leonem Papam *Leo Epist. 25. ad Theodos.* aliique à Conciliis confugerunt jure appellationis ad Sedem Apostolicam apud Bellar. *l. 2. de Conc. c. 17.* Porrò notissimum est juris illum ad quem appellatur, Superiorem esse eo, à quo appellatur, & appellationis finem & effectum esse, ut sententia Judicis inferioris corrigatur, quod sæpius à Romanis Pontificibus factum esse, quando mutarunt, quæ à Conciliis generalibus statuta fuerant, ostendimus supra, & habetur *cap. de Consang. & affinit.*

Nec obstat Patres Concilii VI. Carthaginenses sub Bonifacio primo graviter conquestos esse de appellationibus ad Papam interpositis; Non enim de jure Pontificem appellandi conquesti sunt, neque id negare intenderunt, quod scirent in primatu fundatum usuque totius orbis receptum esse, sed de asperitate Legatorum, qui non tam Judices se, quam Executores ostenderunt æquiori sæpe causæ damnata. *S. Augustin. Epist. 261. Conc. Afric. Epist. ad Bonifacium Cap. 101. & Cælestinum cap. 102.*

Non datur appellatio à Papa ad Concilium.

1. Sic Concilium Lateranense A. 1179, ab Alexandro III. convocatum c. 1. de modo eligendi S. Pontificem: *In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi, ideoque majorem diligentiam in eo deligendo adhibendam esse.* Et S. Gelasius Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ: *Ab illa (Sede Apostolica) nemo est appellare permissus.* Et Epist. 4. seu communitorio ad Faustum: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesia ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.* Idem statuitur cap. cuncta. 9. q. 3. c. Ipsi. q. 3. c. Si Papa Dist. 40. Et docet B. Augustinus Triumphus l. de potest. Eccles. q. 6. a. 1. S. Bernardus Epist. 213. Hinc vehemens illa Constitutio Pii II. adversus eos, qui à Rom. Pontifice ad Concilium provocare erant ausi, cuius exordium est: *Execrabilis & pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut à Rom. Pontifice*
JESU

JESU Christi Vicario (cui dictum est in Persona Petri, *Pasce oves meas &c.*) ad futurum Concilium provocare presumant. Tum vero provocationes ejusmodi veluti *Execrabiles, & pristinis temporibus inauditas, materiam scandalali in Ovili Salvatoris detestabiles, pestiferas &c.* damnat & proscibit. Nihilominus iisdem mitius Constitutio illa cui à Cœna Domini nomen inditum.

Causas hic obiter assigno duas, cur à Papa ad Concilium appellari non possit. Prima, quia Papa est Vicarius Christi in terris generalis, ut diximus supra §. 1. Sed Vicarii generalis, & ejusdem Principalis eadem est Jurisdictio, idemque iudicium. Ergo sicuti non datur Appellatio à Christo ad Concilium, ita nec à Papa ejus Vicario.

Secunda est, si appellari posset à Papa ad Concilium, ergo Papa iudicari quoque à Concilio, ejusque Acta & sententia corrigi & rescindi possent, nam hic scopus est Appellationis, ut supra inquit; Sed Papa à nemine in terris iudicari potest, ergo nec ab eo appellari. Quod iudicari non possit definitum est in Concilio à Sylvestro præsente Constantino Imp. celebrato cap. ultimo his verbis:

Nemo

Nemo dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima Sede justitiam desiderant temperari: Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neq̄ à Regibus, neque à populo judicabitur. Dicitur ab omni Clero, hoc est à Concilio, in quo omnis Clerus in Præsulibus suis congregatus est. Sed nec in Concilio generali judicari posse Pontificem expressè definiuit octava Oecumenica Synodus auctoritate Adriani secundi Constantino- poli habita Act. 10. Et habetur cap. Defini- mus Dist. 22. Licet ipse Pontifex reus es- set, non potest ob crimina ab eo com- missa à Concilio judicari. Ideo Synodus Sinuessana 300. Patrum in Crypta Cleo- patrensi non est ausa in Marcellinum Pontificem, qui qua minis qua blanditiis Imperatorum victus, ut Thus adoleret Vestæ, sententiam proferre, sed ut habent acta: Synodus universa dixit: Cuncto- rum judicio tu eris Judex ex te damna- beris & justificaberis: Tu enim Judex, tu reus. Et rationem subdit Melchiades Episcopus: Nemo enim unquam judica- vit Pontificem; Quoniam prima Se- des non judicabitur à quoquam. Simili- ter in Concilio Romano A. 432. cum Pa- tres

tres in causa Sexti III. Pontificis dicerent:
*Non licere adversus Pontificem dare
sententiam. Surrexit protinus Impera-
tor Valentinianus, & in arbitrio prefati
Pontificis tribuit judicium suum.*

Ennodius in libello jussu Synodi Ro-
manæ V. 115. Episcoporum, quæ Pal-
maria dicta conscripto, ab eoque sum-
mè probato pro defensione Symmachi
Papæ sic inter cætera habet: *Aliorum
forte hominum causas DEUS voluit ho-
mines terminare: Sed sedis istius Præ-
sulis suo sine quæstione reservavit arbi-
trio, voluit Petri Apostoli Successores
cælo tantum debere innocentiam.*

In Synodo Romana A. 800. sub Leo-
ne III. & Carolo M. Congregata exclamant
Episcopi: Nos Sedem Apostoli-
cam, quæ est caput omnium DEI Ec-
clesiarum judicare non audemus: *Nam
ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judi-
camur, ipsa autem à nemine judica-
tur, quemadmodum antiquitus mos fuit:
Sed sicut ipse Summus Pontifex consue-
vit Canonice obediemus. Et iterum: Rem
inauditam esse, Romanum Pontificem
Concilio reum sibi, qui nunquam alium
quam*

quam se ipsum Judicem habuerit. Anast.
in vita Leontis Æmilii ingestis Franc. in Carolo M.

In altera Synodo Romana sub Hadriano II. A. 818. sic Papa præloquitur: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quenquam non legimus.* Referuntur hæc verba quoque in octava Synodo Act. 7. Suffragantur Canones ex Sanctorum Summorumque Pontificum sententia desumpti. c. Nemo 9. q. 3. S. Bonifacii M. c. Facta. 9. q. 3. S. Anteri M. c. Nemo. c. Cuncta. 9. q. 3. S. Gelasii Papæ. c. Patet 9. q. 3. S. Nicolai Papæ. c. Significasti 4. de Elect. Paschalis II. c. Innotuit de Elect. Innocentii III.

2. Nec dicas 1. Allegatos Pontifices in propria causa testari, adeoque de fide suspectos esse; Non enim in propria sed Ecclesiæ causa loquuntur, & Concilia, ut vidimus, illis astipulantur. Et si his non credendum, quibus ergo? An Conciliis? At & ipsa in propria causa testabuntur.

Nec dicas 2 S. Augustinum Epist. 162. scribere: *Causam Cæciliani primo iudicatam à Pontifice, & deinde ab Episcopis;* Nam non necessitatis id fuit, sed coniventia, ut hæreticis præscinderetur tergiversandi causa. S. Greg. in Can. Petrus 2. q. 7. Gratianus ad Can. Testes eod. Nec

Nec dicas 3. Quam plurima exempla docere, quæ in libro de Ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus c. 13. congeſta ſunt à Papa ad futurum Concilium appellatum eſſe. Nam primò provocatio non eſt facta, ut ad ſuperius tribunal, & Judicem Papæ, ſed ad melius informandum Papam per Concilium; Patet id ex ipſa appellandi forma; Et ſi appellarent ad Concilium auctoritate Papæ deſtitutum, provocarent ad Concilium illegitimum. Secundò Appellatio eſt à minore ad majorem Judicem c. Anteriores 4. q. 6. c. Cum inferior De majorib. l. 4. ff. de recept. Concilium vero quod nondum eſt, non eſt majus Papa. Atque eadem facilitate qua à Papa ad futurum Concilium provocatur, provocari poterit ab uno Concilio ad aliud, prout factum in generali Lugdunenſi primo à Thadæo Jurium Doctore & Legato Friderici II. Imp. Tertio Appellatio illicita & prohibita, nulla eſt c. Pastoralis. c. Conſulit. 29. de Appell. l. Si res 7. §. 1. ff. de appell. recip. Sed appellatio ad futurum Concilium graviffimè prohibita eſt à Calliſto III. A. 1457. à Pio II. A. 1460. in Conventu Mantuano ſub pœna anathematis, & Sixto IV. anno 1483, & demum quot annis in Bulla cœnæ ſolenniter excommunican-

cantur, qui ad futurum Concilium appellent. Neque obstat, quod hæc ipsi met Pontifices in propria causa prohibuerint, quia hi, ut Patres Concilii Sinuessani dixerunt, & supra quoque attigimus, sibi vel potius Ecclesiæ & Judices sunt & rei; Et si jure humano Judex cognoscere possit, an sua sit jurisdictio *l. si quis ex aliena ff. de judic. l. 2. ff. si quis in jus vocatus. c. Super literis de rescript.* Quid ni id possit, qui jure divino Judex est supremus & Vicarius Christi?

Nec dicas 4. Juxta *c. Confidimus 25. q. 1. c. Contra. c. Prima salus. c. Ideo eadem causa.* Canones & Decreta Synodorum universalium nullam magis exequi sedem, quam primam oportere. Nam Decreta quæ ad jus divinum & naturale pertinent, servare utique debent Romani Pontifices, & de his loquuntur citati Canones, ut patet ex *c. Sunt quidam 25. q. 1. c. Omne & c. Satagendum eadem.* Quæ vero sunt juris humani ex honestate tantum obligant Papam non necessitate *l. digna vox. C. de leg. aut quoad vim directivam non coactivam. S. Thom. 1. 2. q. 96. c. 5. ad 3. Bellarm. de Conc. l. 2. c. 18.*

Nec dicas 5. Ex Gregorio M. & refertur *c. Sicut sancti dist. 15. Nequidem à Sum-*

mo Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligarunt, aut ligare quos illa solverunt. Nam sermo est de hæreticis damnatis; Non enim efficere potest Pontifex, ut vera sit fides, quæ hæresis est. Neque etiam jus humanum sine gravi & publica causa immutare possunt Pontifices.

Nec dicas 6. S. Petrum palam in Concilio objurgatum esse à S. Paulo. Ergo & Papa à Concilio judicari poterit; nam consequentia non tenet; Poterat quidem Paulus objurgare Petrum, sicuti quivis malè operans redargui potest; Sed non judicare, hoc enim jurisdictionis est, quam nec Paulus habuit in Petrum, nec Concilium in Papam.

Nec dicas 7. Synodum Quinisextam *Can. 13. & 55.* præcipere Romano Pontifici, ut usum Matrimonii permittat Sacerdotibus, abrogetque jejunium Sabatinum; Nam illegitima fuit & damnata à Sergio Pontifice. *Beda in sexta etate in Justino. min. & Anastas. in Sergio.* Canones itaque ibi conditi ex hac Synodo auctoritatem non habent, admissi tamen sunt aliqui, quia per se sanæ erant doctrinæ, & nonnulli vitandi Schismatis causa tolerati, qualis est Canon de Matrimoniis Clericorum apud Græcos.

Nec

Nec dicas 8. c. *Si quis* 42. caus. q. 7. Gregorium Papam Judicem aliquem agnoscere, seque illius iudicio submittere, & c. *Petrus* & c. *Nos si in competenter* 2. q. 7. facti Pontifices Principes sæculares posse jus dicere Pontificibus; Nam hi Canones solum asserunt posse Pontifices vel innocentia suæ certos, vel ex perfectione virtutis factum ipsum submittere examini conciliorum vel etiam Principum sæcularium, non vero se suamque dignitatem. Sic S. Gregorius in hanc rem. *cit. c. Petrus.* *Petrus potestatem regni acceperat, & tamen idem Apostolorum primus querimonia contra eum à fidelibus facta, cur ad gentes intrasset, non ex potestate officii (qua posset dicere, Oves Pastorem suum non accusent nec reprehendant) sed ex ratione divina virtutis, qua gentiles acceperant Spiritum S. respondit.*

Nec dicas 9. c. *Legimus* 24. dist. 93. ex Epist. Hieron. ad Evagrium hæc haberi: *Sed dicis: Quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius Urbis consuetudinem? quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges Ecclesie*
ven-

*vendicas? Si auctoritas queritur Or-
bis major est Urbe. Ubi glossa: Est hic
argumentum, quod statuta Concilii præ-
judicant statutis Papæ. Et in c. Nemo 9. q. 3.
Cum Papa peccat potest ejus peccatum
etiam Ecclesiæ denuntiari. Et in c. Si Pa-
pa dist. 40. Certe credo quod si notorium
est crimen Papæ, & inde scandalizatur
Ecclesiæ, & incorrigibilis est, quod in-
de possit accusari; Nam contumacia di-
citur hæresis c. Si qui Presbyteri dist. 81. &
contumax dicitur infidelis. c. Nullus
dist. 38.*

Nam imprimis S. Hieronymus hic non
agit de potestate Pontificia, sed perstrin-
git superbiam Diaconorum, qui se Pres-
byteris æquabant imo præferebant;
quod illis commissa esset administratio
bonorum Ecclesiæ, & Romæ causis etiam
præessent. S. August. in quæst. ex utraque
mixt. q. 101. Docet ergo S. Hieronymus
non esse propterea Romanos Diaconos
Presbyteris majores, quod arrogantiam
in consuetudinem, vel potius abusum
vertissent, totius enim Orbis consue-
tudinem paucorum in Urbe abusui præ-
ferendam. Deinde Glossa more Juris-
consultorum textus in utramque par-
tem explicat & confert; Nam in c. Ne-

290 *Papa est supra Concilium.*

no 9. q. 3. dicit: *Etiam si totus mundus sententiaret in aliquo negotio erga Papam, videtur quod sententia Papa standum esset.* Præterquam quod in iis quæ ad fidem & doctrinam Theologicam spectant glossæ exiguam habeant auctoritatem. Demum aliud est Papam Concilio aut Collegio Cardinalium denuntiari, aliud judicari posse; Primum admittimus cum Synodo octava Oecumenica, idque solum dicit Glossa *inc.* *Si Papa non secundum.*

Nec dicas 10. Octavam Synodum Oecumenicam docere, posse Concilium ferre sententiam contra Pontificem cum ait: *Universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet questionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Nam permittitur hic solum Concilio, ut objecta Pontifici cognoscat examinetque, ut moneat & reprehendat, non iudicet & damnet. Si sententiam in eum ferre præsumeret, audacia foret transgrediens terminos potestatis suæ.

Nec dicas 11. Dioscorum Papam fuisse ab

se ab Ecclesia damnatum. c. Sane profer-
tur 24. q. 2. ex quinta Synodo; Nam Dio-
scorus fuit Antipapa oppositus à Schif-
maticis Bonifacio II. damnatusque à Bo-
nifacio Simonix.

Nec dicas 12. Honorium Papam à
sexta Synodo damnatum esse; Nam si
damnatus sit, ob hæresin damnatus
est, qui casus est exceptus ut infra
§. 14. dicitur. Cum enim hæreticus
non sit amplius membrum Ecclesiæ, nec
caput esse poterit. Et licet Sedes Apo-
stolica errare in rebus fidei non possit,
Papa tamen ut persona privata errori est
obnoxius, nec enim quicquid agit aut
dicit Papa, agit dicitvè ex Cathedra ut
persona publica.

Nec dicas 13. Pontifices aliquos ab
Imperatoribus in exilium actos, ut Libe-
rius à Constantio, Sylverius & Vigilius
à Justiniano; Alios esse depositos ut Jo-
annes XII. ab Ottone I. Gregorius VI.
ab Henrico III. *Nam non exemplis sed
legibus judicandum est. l. Sed licet ff. de
offic. Pras. l. Nemo C. de sent. & interlo. C. Sa-
na. dist. 9.* Nihil enim tam absurdum,
quod suum non habeat Patronum. Ut
ergo exempla factaque aliorum probent,
ostendendum est prius non aberrare illa
à præscriptis legum.

§. 13.

Ipsa Concilia agnoscunt
Papæ primatum.

Efficacissimum argumentum esse reor pro Superioritate Papæ supra Concilia, quod eam ipsamet Concilia agnoscant. Præterquam enim quod confessi in jure pro judicatis habeantur, *l. 1. ff. de confessis.* formo tale dilemma: Vel Concilia infallibilis sunt veritatis, vel non sunt: Si non sint, ergo Papa est illis major & Superior in definiendo, cujus fides ex promissione Christi non deficiet; Si sint infallibilis veritatis, ergo illis credendum erit, si dicant & agnoscant Papam esse se Superiorem. Et si Concilia & Pontifices inter se conveniant in re, de qua disceptatur, nimirum de potestate Pontificum & Conciliorum, quis se constituet Judicem, ut utriusque partis sententiam aut rescindere, aut in dubium vocare præsumat? An auctoritatem sibi majorem arrogabit, quam habeat Vicarius Christi, & Concilia, quæ totam Ecclesiam repræsentant?

Jam vero videamus quomodo Concilia Primatum & Superioritatem supra se Pontifici adjudicent. Agnoscunt supra §. 1. Concilia Nicænum, Constantiense

tiense & Florentinum Papam esse *Vicarium Christi*. §. 2. Lugdunense, Viennense, Constantiense aliaque *Successorem Petri*, & est de fide. §. 3. Chalcedonense, Constantiense, Florentinum, Lateranense, Lugdunense esse *Caput Ecclesie universalis*. §. 5. Chalcedonense esse *Episcopum universalem*. §. 6. Florentinum esse *Patrem omnium Christianorum*. §. 10. Quatuor prima Concilia atque etiam cætera omnia generalia *Solius Pontificis esse confirmare Concilia*. §. 11. Lugdunense secundum à *Concilio ad Papam appellari posse*. §. 12. Lateranense sub Alexandro III. *non dari appellationem à Papa ad Concilium*: Quia Papa à nemine judicatur, Concilium Romanum sub Sylvestro, Sinuessanum, Romanum V, Romanum sub Leone III. & alterum Romanum sub Hadriano II. Quæ omnia, ut ostendimus iisdem in locis convincunt Pontifices esse supra Concilii auctoritatem.

Sed clarissimis verbis id docuit ex professo Lateranense ultimum sub Leone X. *sess. 2.* reprobans Decretum contrarium Concilii Basileensis: *Solum, inquit, Ro-*

manum Pontificem tanquam supra omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum judicandorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere, ne dum ex sacra scriptura testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat. Quamvis vero dubium sit, an veritas de potestate Papæ supra Concilia hic proprie definiatur, ut Decretum fide Catholica sit tenendum, & contrarium sentientes sint propriè hæretici, à magna tamen temeritate id negantes excusari non possunt ex sententia Bellarmini l. 2. de Concil. c. 17.

Nec objicias I. Synodum Constantiensem, quæ sess. 4. & 5. tale formavit decretum: Declarat quod ipsa potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad sedem, & extirpationem dicti Schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in Capite & in membris. Duplicem enim suggerit responsionem Eugenius Papa IV. qui Concilio Constantiensi interfuit Cardinalis,

malis, in Constitutione, qua Basiliensis Synodi decretum contra se editum reprobatur. Prima est, decretum non esse sumendum in sensu universalis, sed restringi ad ea, *qua pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis*; Schisma autem illud erat ejusmodi, ut nullus esset certus & indubitatus Pontifex, dubium vero Pontificem Concilio subijci non inficiamur, & dicemus infra §. sequente.

Altera est: Robur decreto illi deesse utpote non à Synodo generali, sed à tertia solum parte quæ Joanni XXIII. obediebat formato; Imo nec omnes qui Joanni adhasere decretum approbarunt, ut testis est Turrecremata *Sum. de Eccles. lib. 2. c. 99.* qui Concilio interfuit.

Sed inquit Basileenses *Sess. 38. & in respons. Synod. iidem soli*, qui Joannem secuti sunt, errores Wicleffi damnarunt, iidemque soli deposuerunt Joannem, si hæc valuerunt, valebit etiam decretum ab illis formatum. Respondetur: Condemnationem errorum Wicleffi robur accepisse à Constitutione Martini V. edita cum approbatione Concilii jam pleni & legitimi.

Instant Basilienses: Generale fuisse Concilium Constantinense cum errores Wicleffi damnavit, testatur ipsemet

Mar^g

Martinus Constitutione, qua errores illos proscribit, sic enim de hæresi suspectos interrogari jubet: *Utrum credat, quod condemnationes Joannis Wicleffi, Joannis Hufs, & Hieronymi de Praga, facta per sacrum generale Constantiense Concilium fuerint rite & juste facta.* Ergo generale quoque fuit Concilium, cum declaravit majorem esse Pontifice Concilii auctoritatem quia non pauciores Patres id decreverunt. Respondetur: Concilium erat generale, cum *sacro approbante Concilio* suam edidit Constitutionem Martinus & ad hoc tempus respiciebatur, cum suspecti compellebantur fateri, *justè factas esse condemnationes per sacrum Generale Concilium.*

Urgent iidem Basileenses: Martinum Papam ratam habuisse censoriam notam articuli 41 Wicleffiani; Articulus sic habet: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* Qui articulus sic notatur: *Error est si per Rom. Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.*

lares. Respondetur sumi hic Ecclesiam & Concilium non seorsum à Papâ, sed conjunctim cum eo perspicuum est, cum sit sermo de Romana & universali Ecclesia. deinde sic adstruitur Primatus Pontificis super Ecclesias particulares, ut non negetur super Ecclesiâ universam. Patet id, cum & sic interrogari jubeatur suspecti: *Utrum credat, quod Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit Successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia DEI.*

Nec objicias 2. Synodum Basileensem Sess. 33. tres illas propositiones decreto suo stabilivisse:

Veritas de potestate Concilii Generalis supra Papam . . . est veritas fidei Catholicae.

Veritas hac, Papa Concilium Generale . . . sine ejus consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere . . . est veritas fidei Catholicae.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, est censendus hæreticus.

Respondetur enim, auctoritatem Synodi Basileensis penitus concidisse, postquam

quam

quam Romæ Pontificis auctoritate destituta fuit, cumque hæc Decreta tulit, Sed fuisse solum imbellem conventiculum nullo capite & auctore, sed solis clamoribus, vi ac fraude gubernatum, ut constat ex Ænea Sylvio *lib. 1. de gest. Basili. Conc.* qui coram ad fuit, & constabit ex infra dicendis *cap. 17. de Concilio Basiliensi*; Proindeque explodendæ sunt hæc fidei veritates populo impositæ: *De potestate Concilii Generalis supra Papam &c.*

§. 14.

Casus excepti, in quibus Concilium est supra Papam.

Demonstravimus hucusque Papam esse supra Concilium, ut contrarium sine periculo erroris in fide asserti aut doceri non possit; Sunt tamen nonnulli casus, in quibus Pontifex Concilii auctoritati subjicitur. Primus est, si Papa ut privata persona hæreticus fiat. Definitum est in octava Synodo generali *act. 7. c. Audivimus 24. q. 1. c. Si Papa dist. 40. c. Novatianus 7. q. 1. c. Didicimus. c. Achatius 24. q. 1. Oves. 2. q. 7.*

Secundus cum Papa est dubius, quia in Schismate electus *Concil. Constant. Sess.*

4. & 5. Nec tunc Concilium exercet auctoritatem in Papam, sed in eum, quem credit non esse Papam, nam dubius Papa de quo non constat, pro nullo habetur, cum in jure sint paria: Non esse, & non apparere. *l. Duo Titii 20. ff. de Test. tut. l. In lege 77. ff. de contrab. empt. l. omnia 32. §. Species ff. de Legat. 2.*

Tertius: Si Pontifex invalidè sit electus, & intrusus, tunc enim sicuti non est verus Papa, ita nec privilegiis gaudet Papalibus subjacetque Concilio. *Conc. Constantien. Sess. 39.* Ex his vero concluditur, verum Pontificem semper esse supra Concilium nec dari casum, in quo verus Papa subdatur Concilio.

C A P U T X V I.

An legitimum Concilium generale errare possit.

Concilium cui Pontifex praesidet, vel quod ab eo confirmatur, errare non potest; Secus si nec praesideat nec approbet. Quid si Legati in Concilio procedant sine instructione, vel definiatur aliquid contra instructionem Papae? Conciliorum auctoritas minor est, quam sacra Scriptura.